

A **B** *is operationem distingvi; sive citra hoc, quod mens aliqua ut distincta concipit, distincta non esse.*

Distinctio Rationis est, cum idem est conceptus objectivus, sed diversi conceptus formales: id est: cum eadem quidem est res representata, sed conceptus eam representantes diversi ob diversa connotata. Ita conceptus justitiæ & misericordiæ divinæ sunt plures ejusdem rei conceptus inadæquati & diversi: uterque enim essentiam divinam, sed cum aliò atque aliò connotato, ille cum actu puniendi, hic cum actu miserendi representat. Nihil itaque refert, utrum justitia & misericordia Dei distingvi dicuntur ratione ob diversa connotata, an quòd diversos ejusdem rei conceptus inadæquatos in animò defigunt.

2. Aliqua distingvuntur (d) *INADÆQUATE. INADÆQUATA DISTINCTIO illorum est, quorum unum includit alterum aut ex alterò constat, cum interim præter id etiam aliud vel alia includat, aut ex aliò vel aliis constet. Fundamentum hujus distinctionis, aut si mavis ipsa ejus ratio formalis est habitudo INCLUDENTIS ad INCLUSUM, quam ratione non minus quàm realiter distincta inter se obtinent. Ex genere realiter distinctorum sunt v. gr. homo & anima, homo & manus, caput & oculi. Ex iis, quæ ratione distingvuntur, huc pertinent species & genus, aut species & differentia ejus.*

ADÆQUATE. ADÆQUATA DISTINCTIO illorum est, quorum neutrum includit alterum vel ex alterò constat. Quæ ob id CONDISTINCTA appellantur, & in utròque distinctionis genere occurrunt. Ex realiter distinctis sunt diversa supposita vel subjecta, ut Petrus & Paulus, nix & cerussa, tum quæ diversis subjectis insunt, ut albedo nivis & albedo cerussa. Ex iis, quæ ratione distingvuntur, sunt v. g. actio & passio, justitia & misericordia DEI.

3. Quod fit DISTINCTIO *I. ESSENTIALIS, (a) quæ eorum est, quæ dissimiles habent essentias. Ut substantia & accidens, homo & arbor. Non autem Petrus & Paulus essentialiter distingvuntur, quia hi quidem habent essentias numero diversas, sed nõ dissimiles, uterq; enim est animal rationale. Hòc modò etiã non distingvuntur personæ divinitatis, quia earum essentia etiam numero eadè est. Hinc omnia, quæ essentialiter distingvuntur, realiter distingvuntur, sed non vice versã.*

II. FORMALIS DISTINCTIO *quæ dupliciter, ferè accipitur (z)*

I. Exclusivè, prout sc. Distinctionem essentialem removet à se atque excludit. Atque ita FORMALITER distingvuntur, quæ citra hoc, quod diversas formales rationes habent, non sunt distincta. Et sic distinctio formalis non erit diversa à Distinctione rationis.

II. Absolutè, prout etiam essentialem distinctionem ambitu suo complectitur. Et sic FORMALIS DISTINCTIO omnium est, quæ diversas formales rationes habent, sive citra hoc, quod eas habent, reapse sunt distincta, sive minus. Atque adèdè latius ea, quàm essentialis, extenditur: quippe omnia, quæ essentialiter distingvuntur, etiam formaliter sunt distincta, non autem quæ formaliter distingvuntur, etiam essentialiter sunt distincta. v. gr. albedo & dulcedo, sive conjuncta, ut in saccharo; sive separata, ut in nive & melle, formaliter distingvuntur hoc ipso, quod essentialiter sunt distincta, sive quod dissimiles essentias habent. Itidem justitia & misericordia DEI & omnia attributa divina formaliter distingvuntur.

III. MODALIS, quam nec Aristoteles, nec interpretes ejus, nec veteres Scholastici, sed tantum recentiores tradiderunt. Illa verò inde dicta est, quòd inter rem & modum ejus, vel inter duos modos ejusdem rei reperiat.

MODUS autem est ens vel entitas adèdè prorsus affixa rei singulari, ut nec esse sine eà nec concipi possit. Ex opposito RES est quodlibet ens, ad cujus essentiam non spectat, ut actu rem singularem afficiat. e. gr. Petrus & sessio ejus differunt modaliter. Petrus enim est res, sed sessio ejus est tantum modus rei. Neque enim per ullam potentiam fieri potest, ut sessio, quæ est Petri, non actu afficiat Petrum, neque etiam concipi sine Petro potest.

Neque verò tantum substantia, sed & accidentia quædam RES sunt, ut albedo, color. Et si enim hæc per naturam semper insunt subjecto sive rei singulari, eò quod accidentia sunt; ipsa tamen sine re quâlibet singulari concipi possunt. Ita, dum in hac chartâ inest albedo, ipsa sufficienter concipi potest sine chartâ, dum color disgregans visum concipitur, non factâ rei singularis, cui inest, mentione.

ANNOTATA.

(a) Ex unitate s. potius unitatis negatione fluit tandem etiam rerum inter se distinctio, quæ idcirco Roderico de Arriaga Diss. Met. 1. sect. 4. §. 92. carentia dicitur identitatis inter duo extrema, i. e. quod hoc non sit illud. Cornelio Martini dicitur eadem discessio ab unitate, & ad eandem, quo fieri potest modo re-

vocatio in Compendio suo Metaph. p. 267. Sunt hæc autem qualescunque descriptiones vel nominis explanationes: non autem adcurate definitiones: nam distinctionis terminus cum equivocus sit, ideò una aliqua adcurata definitione exprimi non potest, eapropter nec distinctionem in genere definire voluimus.

s. Quod